

- TEXTE : Fabulae Mirabiles : *Jax et fabae magicae* -



Olim erat pauper vidua cui erant filius appellatus lax et vacca appellata Vacca. Vidua et lax lac vaccae bibere solebant, sed quodam die vacca nihil lactis edidit. "Quid faciam?" rogavit vidua, "Non possumus vivere sine lacte.

"Noli timere, mater," ait lax, "laborabo et pecuniam mereo ut lac emamus."

"Minime," respondit vidua, "nihil facere potes.

Vacca vendenda est ut pecuniam adquiramus. Nundinae sunt. Duc vaccam ad forum et eam vende," lax vaccam capistro tenens ad forum profectus est. In via pravo seni occurrit, qui ait "Salve, lax."

"Salve," respondit lax, mirans quo modo vir nomen didicisset.

"Et quo is cum vacca, lax?"

"Eo ad forum ut vaccam vendam."

"Optime," ait senex, "Videris bonus venditor vaccarum. Fortasse tuam vaccam emam. Vidistine fabas magicas umquam?"

"Minime," respondit lax.

"Ah, hae fabae mirabiles sunt," ait senex, laci quinque Fabas monstrans. "Si Fabas in solo pones, postero die creverint ad caelum. Et omnes quinque Fabas dabo, si mihi tuam vaccam dabis. Et, si fabae non crescent, vaccam reddam."

"Iustus est senex," putat lax, et vaccam tradidit. lax, cum fabis magicis, domum rediit. Mater, vaccam abesse videns, rogavit "Quid adquiris vacca?"

"Numquam divinabis!" clamavit lax.

"Multum pecuniae, spero, quinque talenta? decern? quindecim?"

"Minime," respondit lax, "Ecce hae fabae. Si seres hodie, cras --

Vidua furiosa erat. "Eheu!" clamavit, "vendidit vaccam quinque fabis? Stultissime! Hah! Ieci Fabas per fenestram ! Nunc i ad cubiculum tuum, et nolo te videre hac nocte!"

laxem paenituit quia mater eius tam irata esset, et ad cubiculum exiit. Maestus erat, et esuriebat (non cenam ederat), et male dormivit.

Mane, lax circum cubiculum circumspexit, et confusus est. Pars camerae splendebat sole, sed altera pars umbrosa erat. lax surrexit et ad fenestram ambulavit. Cum lax per fenestram

perspiceret, ingentem thyrsus instar turris vidit! En, fabae quas mater humum iecerat usque ad caelum creverant. Pravus senex vere dixerat.

Thyrsum tam propinquus fenestrae lacis erat ut lax per fenestram salire et thyrsus velut scalas scandere posset. lax diutissime et tandem per nubes scandit.

Cum per nubes scandisset, longam et latam viam vidit. Per viam ambulavit et ad maximam domum advenit. Ingens femina ante domum sedebat.

"Salve, femina," ait lax, "Da mihi ientaculum, quaeso." lax maxime esuriebat cum cenam proxima nocte non edisset.

"Visne ientaculum edere?" ait femina.

"Ientaculum eris si non fugies quam celerrime. Maritus meus gigas est cui maxime placet parvos pueros edere."

"O adeo esurio. Non edi tantum diem, et equidem fame moriar nisi mox edam. Sive a marito tua sive fame interfectus sum, nihil est. Edendum est mihi, quaeso," lax feminam cum lacrimis precatus est.

Uxor gigantis lacis miserita est et eum ad culinam duxit. laci caseum, panem, et lac dedit. lax laete edebat, sed subito audivit "thump! thump! thump!" et omnis domus sono quassata est.

"Eheu, maritus adest," ait femina, "Quid faciamus?"

Ah, late in furno! rapide!" Et lacem in furno posuit. Mox Gigas in culinam intravit.

Vere, Gigas ingentissimus erat. Tres vaccas manu sinistra tenuit! Vaccas in mensa posuit et ait, "Uxor, coque has ientaculo mihi. O, quid olet in mea culina?"

Fi-fae-fo-fem

Olfacio Angli sanguinem

Sive vivus sive mortuus sit,

Molam ossa ut panis fiat.

"Nulli Angli adsunt," ait uxor gigantis, "vaccas olfacis. Aeger es naso." Gigas uxori credidit et ad mensam consedens ientaculum expectabat. lax e furno serpsit et in oUa magna latuit. Interim uxor gigantis vaccas coxit et ad maritum apposuit. Gigas vaccas tam celeri ter edit ut lax non posset credere.

Tum gigas e culina exiit et cum gallina rediit. Gallinam in mensa posuit et imperavit "Pare mihi ovum aureum." Et, mirabile visu, gallina ovum aureum' peperit. Gigas cum ovo lusit et tandem exiit ut venaretur.

"Exeundum est tibi!" dixit laci uxor gigantis. "Ita," respondit lax neque statim exiit. Cum uxor gigantis e culina exierat, lax solus gallinam magicam rapuit et domo ingenti excurrit. Mox rediit gigas, qui gaUinam abesse vidit. Periratus erat! "Uxor! ubi est gallina magica? Fur eam surripuit! Inveniam furem et interficiam!"

Et gigas domo excurrit et lacem cum gallina currentem vidit. Gigas ingentibus passibus cucurrit et multo celerior lace erat. Gigas lacem paene cepit, sed lax thyrsus de nubibus descendere coepit.

Cum lax humum pervenerat, securim rapuit et thyrsus succidit gigante descendente. Gigas humum cecidit, et humum tanta vi pulsavit ut omne oppidum quassaretur. Gigas interfectus est, et lax ova aurea vendidit maxima pecunia. lax et mater, nunc divites, feliciter posthac habitabant. Et illa est fabula lacis et fabarum magicarum.